

rim marmoreus, notho flante sudori si-
 millimum humorem fundere, quod vul-
 go sudare creditur, potest & ex aduenti-
 tia causa rubere, humor ille, & sanguinis
 speciem præbere, in omni autem sermo-
 ne tali meminisse oportebit eius, quod
 est apud Ciceronem, qui hæc omnia ficta
 & falsa putat: Hæc, inquit, in bello plura
 videntur & finguntur liberius, & credun-
 tur facilis. Iam verò, quod de muribus
 affertur, quantumlibet tristè, mirandum
 certè nullatenus: crassæ enim rodere fre-
 quens murium cibus est, nisi quia clypeis
 affixæ erant, parci forsan putastis à muri-
 bus, præclarè dignoscentibus instrumen-
 tum bellicum & formidatum gentibus
 signum P. R. quod fortè in illis cratibus
 pictum erat, contingere non ausuris, mi-
 hi credite, nullum hic mōstrum, nisi stu-
 por vester & admiratio tam communis
 rei: quod si mures à clypeis roderentur,
 illud planè mirum dicerem, sicut in re
 simili, respondisse portentorum inter-
 pres scribitur, qui cum consuleretur, quid
 sibi vellet ostentum, quod quidam domi
 suæ repererat, anguem vecti ferreo cir-
 cumuolutum? Enimverò, inquit, si vectis
 angui circumuolutus esset, tunc mirari